




P M
G




FUNERALIA
MARIAE. REGINAE.
Fora Sonat: per Rostra, Palatia, Templa,
Seminecem Europam, Sordida palla tegit.
Magna MARIA fuit Britonum Soluque Solique,
Gloria, et Augusti Conjugis Unus amor.
Depositum fuit Ipsa Jovis, reddatur Olympo.
Heroum major, Laudibus, æqua Diis.
Regis ad interitum, pyrotechnia falsa cremabas
Quæ veri testes, Galle timoris erant.
Reginæ inferias, solvent Cacus atque Lycaon
Horrentes, vastos, per tria valla, rogos.
Rom. de Hooge. J.V.D. et
Com. R. Auct.
D. Persoy Excud. Cum Privilegio.



FUNERALIA
MARIÆ II.
BRITANNIARUM.
D.G. REGINÆ.
GUILIELMI III.
AUGUSTÆ CONJUGIS,
DECLAMATA, ET DECANTATA
A
SAMUELE GRUTERO,
IN AULA PRINCIPIS,
DIE EXEQUIARUM.



H A R L E M I.
Ex Officina MARGARETÆ à BANCKEN, CIϽIϽCVC.



GUILIELMO III.

REGI.

Magnanimo, Clementi, Pio, Justo,
Invicto, Britannico,
Fidei Defensori,
Reformatæ Religionis Propugnaculo,
Oppressorum Populorum Liberatori,
Europææ Libertatis Vindici,
Humani Generis Conservatori,
Semper Augusto.

Hæc Funeralia sacra sunto,
per S. R. M. devotiss: cultorem

SAMUELEM GRUTERUM.

Explicatio Tabulæ Majoris.

IMperator revertitur a pyra accenſa facem lugubrem extinguens, cujus ex humero pendet paludamentum, ac enſis ex balteo, ante ipſum ignis, ſummæ potentiæ inſigne, a præfectis portatur: miles Britannus, ac is, qui ſe Sacramento militari Batavis obſtrinxit dolentes interitum Celſiſſimæ Reginæ ſeſe aciei accingunt, ut tam irreparabile damnum clade Hoſtium penſent atque æquent: e regione, præficæ, aliæque lamentis aëra replentes fæminæ capillis paſſis, ac pectora tundentes, cernuntur. Hiſce comitem ſe ſiſtit vates ruderibus inſidens, quæ juxta campum Martium protrita jacent: inter quæ Porciam, Liviam, Gorgoniam, aliasque ſummi nominis Heroinas cernit, quarum ſummas laudes, reliquiaſque magnanimas, cum incomparabilis Heroinæ Mariæ factis ac virtutibus librans, haſce cunctas Huic uni prorſus impares animadvertit. Poſt Imperatorem ab Anteſignanis geſtantur Trophæa aliaque victoriæ inſignia Ducis ſui, ut & præconia bellica, protectio Religionis, ac tutela Libertatis, pariterque Draco purpureus, qui nemini niſi ſoli Cæſari in campum deſcendenti præferebatur.

Interius apparet campus Martius, forum, atque roſtra trophæa victoriarum maritimarum, proris aliisque hoſtilium carinarum ornamentis exornata; pro roſtris Orator, defunctam laudaturus, ac ſummas animi corporiſque dotes, quibus Magnanima hæc aliis jam fato functis, aliis etiamnum viventibus longe præluxit, ebuccinat, ac Munificentiam, Legum defenſionem, &c. extollit. Coronam auditorum nobiliſſimi ac primi primipilorum, facta ſua ac præclara facinora coronis muralibus, vallaribus, navalibus, civicis aliiſque oſtentantes, nunc vero magnam partem ſquallentes ac capite raſo publicum luctum repreſentantes cingunt. Equites hunc cœtum obequitantes faces ſuas in rogum projiciunt, qui odoramentis, aromatibus, & unguentis, quæ a Provinciis liberatis offerebantur, flammas ad Cœlum ejaculatur, fragorem crepitumque edit.

Superius, Laureati duces avitæ proſapiæ marmoreis ſtatuis ſplendent: ac ſupra hos, tertio circuitu, Religio, Libertas, Virtus, Sapientia, aliaque maxima dona eluceſcunt, quæ ſummæ Reginæ funus glorioſum amplectuntur, ut & Regni imagines, inſignia, ſtatuas aliaque ſtemmata, ſuperiori pullæ ſeu tegmini lugubri impoſita: tandem cernere datur tholus, ex quo Aquila ipſam æternitati conſecrandam in Cœlos avehit.

Explicatio Tabulæ minoris.
ſequentis Paginæ.

POſtquam Aquila avolaſſet, cernitur Magna Britannia, quæ laniata comas, corona depoſita, in cineres remiſſa ſedens, lacrymas in urna lugubri Magnæ Mariæ congregat, orbata diademate, ac omni ornatu, undique pullata, facem exſtinguit, Illi aſſidet bellicoſa ac Mavortia illius aſſertrix Belgica, ſimilibus perfuſa lachrymis, quibus genas mentumque irrorat, eaſque in eandem cum Britannia urnam recondit: Ambæ oculis in terram defixis conſident, Hic ſeſe videndam exhibet Imago Divæ Mariæ gyro ſerpentis, æternitatis ſymbolo, incluſa; lugubres Cupreſſi ſummum exprimentes luctum circumdant Regale Monumentum; a tergo prodire conſpicitur ſummus Sacerdos, chori ſtipante caterva, ſacrum funeris Reginæ cinerem in alteram colligens cochleari urnam. Cuncti lugubres ſonus Mœſtique accentus Citharæ, Sambucæ, Barbyti, Raucæ Buccinæ, Syſtri, arundinum, triſtem edunt ſonitum.

Maria. Dei Gratia.
Angliæ. Scotiæ. Franciæ. et.
Hiberniæ. Regina. etc:



G. Valck. Excud. Cum. Privil. Ordin. Holland. et. West-Fris.

MARIÆ REGINÆ FUNERALIA.



Elebrantur hodierna luce Sereniſſimæ, ac toto terrarum orbe Celeberrimæ, magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hyberniæ Reginæ, MARIÆ, Auguſtiſſimi, atque Invictiſſimi Regis Guilielmi Magni, Conregnantis nuper Incomparabilis Uxoris, funeris exequiæ. Ut ad ſolennia & œcumenica tali cum funebri pompa, ac apparatu ſacra, tantis cum expenſis, ſimul & omnium lachrymis, ac in Anglia nullo ſeculo viſos Inferiales honores, ex tribus regnis ſubditi, invidiæ veneno non afflati, nec marceſcenti Majeſtate ejus livori deſervientes, catervatim affluunt univerſi. Hoc publico mæſtoque ſepulchri die, ſolutis in communem mærorem ac leſſum animis, tam Britonum, quam Belgarum, quinimo totius Europæ planctus quaquaverſum attolluntur ad ſydera; luget triſtiſſima circumquaque maxima cohors.

Terræ matri redduntur Magnæ MARIÆ hoc ipſo temporis momento piæ exuviae, funeratur, & tumulo conditur in celeberrima Londinenſium civitate, Regina illa, Reformatae Rei ſuſtentaculum, libertatis Europææ vindex, Juſtitiæ propugnaculum, Orbis Britannici Atlas, Hoſtium terror, omnium amor, ultimus Naturæ conatus, & denique præſtantiſſimum Cœli munus, terris tantum breviſſimo temporis ſpatio commodatum, non vero datum, niſi orbi univerſo in virtutum ejus admirationem, ac præconium, Regibus in magnanimitatis, & clementiæ paradigma, Ævo in pietatis ac integritatis, Conjugatis in ſocialis amoris, ac denique omnibus in fidei, & charitatis illuſtre exemplar; illico de terra in Cœlum, tanquam ejus depoſitum, ſublatum.

Hanc cuncti unanimi conſenſu, & pari vocum certamine depraedicarunt, ut naturæ miraculum; illamque ut Cœlitus Exoratam, oppreſſis populis Opitulatricem, ac malorum, quae tum Anglis incubabant, tum Belgas premere comminabantur, Averruncam ſalutarunt.

runt. Obstupescenda Ecclesiam suam diligentis, & protegentis Dei cura fuit, quae hanc MARIAM Britannicam destinaverat Guilielmo Regi, thalami consortem, virtutis, prudentiae, candoris, ac delati nec desiderati Sceptri sociam unanimem; sicque unam in duobus corporibus animam, & indivisum regnandi consortium, duorumque Principum in uno solio conjunctum imperium, mirabili ac inaudito modo, concentuque harmonico conspexit orbis.

Haec Illustris MARIA, faemina sexu, sed robore animi magnos viros, & magnanima virtute Heroas antegressa, coronam haereditatis intemerato jure tenebat, quam dum a stirpe sua avellere, aliorsum divertere, simulque Libertatem, & Religionem pessumdare, mala Hominum pestis molita fuerat; Illius MARIÆ fuit, heroica fortitudine, ac summa prudentia successionis jura tutari, & asserere sibi, cui ea generis prosapia, æquitas, vota, ac salus tot gentium vendicabant. Nec erat, quod regnum invaderet alienum, quæ jam

dudum in Anglorum , eam unice & enixe efflagitantium, regnabat animis, ſed regnum proprium armis tutata eſt, moribus correxit, decoribus exornavit, virtutibus ditavit.

Regina hæc tribus una Gratiis par, emicantis erat toto ore gratiæ, adſpectus amabilis cum humanitate oculis affuſa, in cujus vultu omnia videbantur virtutum ſigna, in genis lenitatis, in Sermone blanditiæ; aſt animi dotibus multis paraſangis excellebat magis quam corporis, omnia enim ei adſunt bona, quem penes eſt virtus, quæ etiam mortuis & ſepultis lucet. Quam ſplendida gemma erat morum Illius verecundia, Reformatæ Religionis Zelus, comitas, fides, pietas, aliæque non tali modo, tantoque gradu, & copia inveniendae in ulla Regina virtutes! Velociſſimi ſyderis more, ſyderata mente omnia conſiderare, omnia audire, omnia perluſtrare, undecunque invocata ſtatim velut Numen advolare, & aſſiſtere prudentia, ac conſilio adſolebat. Quare non immerito poſt hujus Syderis occaſum doluiſſe, ac ingemuiſſe animo lapſum, &

in

in queſtus effuſum Regem, ſe cum dispendio tantæ Conjugis maximam conſiliorum ſuorum partem amiſiſſe, perhibent. Mens iſta aurea, quam de Patre luminum ac ſpirituum, plusquam aliæ Principes hauſerat, in Illa erat divinum, & ſtupendum quid. Itaque ſparſus de hoc naturæ Oſtento, & virtutum Prodigio per Orbem habitabilem rumor peragraverat; neque minuebat præſentia famam, ſed augebat immenſum, ac longe ſuperabat. Uti prudentia comitate, & morum candore cæteras Principes, praetergreſſa, ita Nominis fama plurimos excivit, ut gloriam ſpectarent, domuum Majeſtatem, & ordinis elegantiam, qui ſe plura, quam fama tulerat, vidiſſe, majora contemplatos eſſe, ultro & plenis buccis exclamarunt.

Quod ſi Pythagoras Memphiticos Vates, ſi Plato Ægyptum, & Architam Tarentinum adierunt, ſi ad Titum Livium de ultimis Hispaniarum, & Galliarum finibus Nobiles quosdam veniſſe legimus, ſi Apollonius Indiae regna penetravit, trajectoque Phiſone amne, pervenit

ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno aureo ſedentem audiret, ſi ad Legislatorum Coryphæum Solonem Romani Spurium Poſthumum Athenas ablegarunt, legum ejus ectypum ſecum deferendi cauſa, adjunctis ei duobus Romanæ Reipublicæ viris primariis; ne miremini tantæ Reginæ ſpectandæ gratia, undequaque magnam hominum turbam, & ſpectatorum ingentem copiam indies accurriſſe.

Sacer hic eſt, in quo hodie ad Illius laudes, pyrasque celebrandas compareo, dicendi locus; Muſis enim atque Synodalibus Sacris dicatus eſt. Nam ſingulis ſexennii recurrentis temporibus hoc in loco coire ſolet, ſub Illuſtrisſimorum Hollandiæ Ordinum, Eorumque Deputatorum auſpiciis, Borealis Hollandiæ Synodus, cum Eccleſiaſtica hic omnium Clasſium peraguntur ſacra negotia, doctiſſimorum virorum audiuntur prudentiſſima ſuffragia, ac elaboratiſſimæ, doctiſſimaeque habentur conciones, non e Patre eloquentiæ Cicerone, aut lacteo, ut ajunt Livio, aut ſuaviſſimo Curtio, aut puriſſimo Cæſare, ſed ex mun-

dis-

dissimis, & sacratis Verbi Divini eloquiis collectæ, sensim ad intimos audientium sensus irrepentes. Non ergo leviter in hoc sacro, & solenni comparere loco, subselliumque hoc conscendere, ad busta MARIÆ Britannicæ canenda, libertatem sumpsi, & nequis hanc in audaciam vertat, libere, & ingenue dicam, quæ me compulerint argumenta. Primum est, binis mihi hic loci vicibus Synodo Harlemensi præsidendi, & conciones inaugurales habendi, demandatam fuisse provinciam, quapropter hic mihi non adeo alienus locus est.

Alterum, cum hasce Nostras gloriosissimæ memoriæ Regina relinqueret oras, avitum regnum occupatura, sceptrum a Patre Jacobo abdicatum susceptura, huic MARIÆ Magnæ valedicendi spartam nactus fuerim. Cum enim omnium ordinum, & dignitatum Viri summi, Patriæ Patres, Proceres nostræ Reipublicæ, Ordines Generales, Provinciales, Civitatumque Magistratus, Huic decedenti congratulantes Reginæ, omnia fausta apprecati fuissent, Illi ex intimo cordis affectu valedi-

centes. Synodi utriusque Hollandiæ Deputati e re Ecclesiæ, & officii sui esse judicarunt, juxta Politicas Procerum, etiam Ecclesiasticas & Synodales adjungere congratulationes, valedictionesque.

Constituto igitur tempore, Hagam Comitis conscripta Conventus Synodalis sex numero membra sine mora sese receperunt; impetrata ac concessa publica loquendi libertate, summo Britannicorum Reginam ad Magnæ Britanniæ Regnum deducentium coetu, atque plurimorum auditorum omnis ordinis stante corona, piæ memoriæ Gregorius Mees, ac ego Reginam Solis instar e cubiculo suo in publicum auditorium prodeuntem, seque juxta argenteam sistentem mensam, humanissimis alloqui cepimus verbis, Illi inter alia prosperum in Angliam transitum, exoptatum introitum, vitam longævam, & regimen fælicissimum apprecabamur cernui: Religionis Reformatæ curam, ut blandissimæ Nutrici, schismatis in Regno Angliæ gliscentis medelam, quantum fieri posset, modeste commen-

davi-

davimus, & ſerio; pro æternitate Imperii, & ſalute Regnorum vota nuncupavimus, valedictionem adjunximus, & vovendi finem fecimus.

Tum Illa roſeo orſa ore, gratam hinc ſeſe decedere blandiſſimis conteſtata eſt ſermonibus, memorem Batavorum erga ſe amoris, obedientiæ, venerationis, benevolentiæ, ac humanitatis extituram ſemper; Ipſamque ſibi a propria gente majora obſequia polliceri non poſſe, non præſtolari, non petere; nunquam amorem, & prosperitatis hujus Reipublicæ curam depoſituram, Fidei Columen, Orthodoxæ Religionis blandam Nutricem futuram dixit: Unice, ajebat, optaveram longiorem protrahere vitam, & majorem annorum ſeriem numerare in his regionibus, Cœlitus mihi conceſſum fuiſſe, imo non tantum amplius vitæ ſpatium, ſed apud Batavos dies meos tranſigere, & emetiri voluiſſe, lubens, & ex animo confiteor. Plura glorioſa hæc MARIA addidiſſet verba, niſi omnes præ lætitia ſimul, ac mærore lachrimis liquere cepiſſemus: Ipſa

itidem Maxima Princeps, voce faucibus hærente, loquelæ finem imposuit. Continuo ventus, qui multis haud secundus spirare diebus renuerat, ipsa media sequente nocte prosper esse gestiebat.

Itaque immortalis Nominis, ac Famæ Regina diei proximi matutino se accinxit tempore itineri. O quam copiose Dominarum Nobilium effusæ lachrymæ! o quanti Matronarum Aulicarum ejulatus! o quam lugubres auditi undique lessus! o quam Haga, interior, exterior Aula, imo omnia undique perstrepebant planctu mæstissimo Compita! lamentis, & fæmineo ululatu Palatii cubicula resonabant, tectaque fremebant, decedente hoc Batavorum Gaudio, Jubare, gloria. Princeps hæc Regali suo vecta curru, stipata Dominarum ejulantium cohorte, oculis genisque madens, spectabatur, & illachrymans vicissim: Sicque Haga excessit pia Mater Patriæ, illo ipso, quo die præcedenti Synodali defuncti fueramus valedictione ultima, post quam aliam a nemine recepit, temporis articulo.

Cum

Cum ergo hunc lætitia & luctu commixtum conſpexerim, tanquam vel pars aliqua, vel teſtis oculatus, ſolennem abitum, ne miremini, me obitum Illius mæſtitia, & ploratu refertum voluiſſe, imo præ multis aliis obſtrictum parentare debuiſſe. Judicate enim tanquam æqui, & benevoli judices, an non ejus erat, ſi ullius, qui tantos tam Incomparabili Reginæ delatos honores, tantum oblatum Imperium, & Majeſtatem, qui inſtantem in Patriam terreſtrem reditum, atque in trium Regnorum hujus ſeculi ſolium gratatus ſit futurum adscenſum, eidem Glorificatæ jam Principi introitum in Patriam Cœleſtem, ac Regnum in ſempiterna æva perenne, nullis finibus, terminisque circumſcriptum, interminabilis vitæ, & gloriæ, ac jubilorum abundans, gratulari identidem.

Tertia ergo vice hic loci me ſisto, in quo querelae potuis, quam eloquentiae, doloris, quam ingenii, maeſta potius, quam laeta canendi, in me partes ſuscepi. Favete ergo auribus, illachrymetis oculis, dum Auguſtae

MARIÆ memoriam, & ſepulchrales honores, ſolenni, & publica parentatione celebrem, ad hæc juſta officioſe invitati eſtis.

Male ſe habere optima Princeps vigeſimo primo Decembris die, Stylo Regni, A°. 1694. occepit, noſtro, ipſis Calendis Januarii, A°. 1695. altero die in eodem ſtatu ſeſe reperit: tertia luce venæ ſectio adhibetur, poſtmodum die morbi quarto, circa nonam antemeridianam, rubicundæ apparent undique maculæ, de ſignis morbi prognoſticis, & indicantibus dubitant, ac diſceptant Medici, ſymptomata, ac ſigna diſcrepant antemeridiana a pomeridianis: Morbilli tandem ſed minoris notæ, ac parvuli admodum conſpiciuntur. Die quinto idem obtinet indicium, & Archiatrorum judicium. Sed proximo die mane aliqua melior ſpes arridere videbatur. Judicant Medici, non niſi levem eſſe ſine diſcrimine vitæ Papularum effluviem: antea in abyſſum mæſtitiæ, ac barathrum horroris ſubmerſam Civitatem reſumere animum, hæc lætior fama fecit, quin imo quodam ſe gaudiolo exhilarare, Reginam

jam

jam periculum evasisse, Aula cepit; ac blanda spe, pristinæ sanitati breviter fore restituendam, lactare.

Verum nocte insequente, cum Rex insomnis Conjugis affixus lecto assidebat, pejus multo sese habere sensit, nam vix crepusculum lucis apparet, quin febris acuta, varioli, morbilli, gutta rosacea, hæc omnia infausta sympto mata mortis prodroma adsunt, quoniam autem non satis expellebantur extrinsecus, actutum ex omnibus malitiosi morbi indiciis, Cephalalgia, ac Cardialgia concomitantibus gravissimis, omnis decollatur vitæ spes oppresso intus pectore, difficillima respiratione, morbillis in eodem statu manentibus; tandem defectu virium, in agonem mortis incidit, mentis tamen compos plane, & Christianæ fidei, ac roboris plena, Sacræ Cœnæ sigilla ex recenter creati Archiepiscopi Cantuariensis Tenisonis manu sumens, publica pietatis exempla Circumstantibus dedit, summæ ad Servatorem suum anhelationis signa, in quibus continuo perseveravit, præbuit.

D Tandem

Tandem Regi Marito ultimis moribundæ linguæ verbis, ac ſingultibus valedixit, qui indivulſus Illi, Illiusque thoro adhærens, piis conſolationibus Conjugem corroborans Regiæ fortitudinis, magis tamen Maritalis, tenerrimique amoris exemplar oſtendit. Fatalis jam Reginæ inſtabat pene hora; eleemoſynas ubique diſtribui juſſit, de Domeſticis, Aulicis ſuis, de refugis, viduis, & pauperibus ſollicita, omnibus conſuluit, ac beneficas ſentire manus curavit, ſe gratias Deo O. M. agere dicens, cum Archiepiscopus Illi mortem appropinquantem annunciabat, ut ſe Voluntati Patris Cœleſtis ſubjiceret, longo ante tempore ad hunc deceſſum ſe accinxiſſe, nuncium hoc ſine pavore recipere, huncque diem primum, quo ſe ad mortem paraverat, neutiquam eſſe, ſed a longinquo prævidiſſe, ac ſe præmuniiſſe, teſtata eſt, ante mortem diu ad mortem promtam fuiſſe, ſicque ſe Patris ſui Cœleſtis beneplacito parere paravit, hisce, cum jam ſolverentur frigore membra, ſpiritu quaſi ſuper ora errante, auras jam extremas

tremas hauriens, clausit vitam verbis, Ecce Ancilla Domini, mihi fiat secundum voluntatem tuam. Ita piam sanctamque animam gaudia Cœlestis Paradisi prægustantem, scuto fidei armatam, de salute certiorem, plusquam humana fortitudine indutam, in Domino expiravit pie pia Regina, 10 Maii die A°. 1662 nata, Guilielmo III. matrimonio 14 Novembris A°. 1677 juncta, diademate Imperii 21 Aprilis A°. 1689 coronata, 7 Januarii A°. 1695 denata: summis cum omnium Magnatum Regni, & Nobilissimarum Dominarum, ac totius Britanniæ, Belgiique fœderati luctu, ploratu, ac ejulationibus, sed præ ceteris omnibus, Regis mœstissimi dolore ineffabili. O Quanta cum alacritate partem annorum suorum moribundæ Uxori impertitus fuisset tenerrimorum viscerum Rex! imo quam prompto animo propriæ vitæ temporibus Reginam fulcire desiderassent Britanni! ut de ipsorum annis viveret, quæ fungi non potuit suis.

Ut Ovidius, dum longum imperium, mul-

tosque annos Augusto precaturus, cecinit in hunc modum.

Augeat Imperium nostri ducis, augeat annos.

Atque adhuc magis apposite, Regibus suis acclamare solebant veteres.

De nostris annis tibi Juppiter augeat annos.

Sed nobilis hæc anima ad Cœlos evolavit, subita statione relicta, ejusque funus Regio de sanguine satum avitis redditur hodie monumentis.

Exenteratis præcordiis omnibus, & extis tam superioris, quam inferioris abdominis, loculoque reconditis plumbeo, in Hypogæo & Crypta Sacelli Henrici VII humatis, defunctæ Corpus in arcera depositum, a Lecticariis in Basilicam Withal deportatur. Ibique in intima ejus parte adornatur ingens amplumque conclave, illud ipsum nempe, in quo cubare cum Conjuge Guilielmo Imperatrix hæc assueta fuerat, cubiculum: ad hoc conspiciendum per portas Palatii, & porticum pullis vestibus appensas ingrediendo, prius adscendendum est in atrium pullatum Satellite Prætoriano munitum, hinc in alte-

alterum ſimili modo inſtructum aditus patet, parietibus quatuor Regnorum inſignibus affixis, nigratis lychnuchis circumquaque lucentibus: Poſtmodum in tertium Aulicis refertum conclave acceſſus datur, pari modo adornatum, hic ſeſe rurſum regnorum arma, & thronus excelſus ſub Regio convexo viſenda præbent, lychnis cereis undique illuminatum resplendentibus. Hinc introitus in quartum Auguſtiori modo majorique pompa lugubri expolitum; itidemque hic conſpicitur thronus multo ſublimior, cujus ſubpedaneo ab utroque latere aſſident tres numero prætextatæ Puellæ pullis indutæ, quarum ſyrmata ad erectos inibi cancellos expanduntur, ad ſiniſtrum latus duodecim adſtant nobiles pullati, ante thronum quatuor candelabra cum lychnis ardentibus, in medio e laqueari corona pendet argentea toreumate affabre efformata.

Tandem denique patet hinc introitus in Aulam regiam, ubi ſolium coccinei coloris cortinis ſericovilloſis circumdatum cernere datur, cui in veſtibus nigris, adſtat in-

gens Ducum Comitumque caterva, Dominarumque nobilissimarum assidet cohors peplo quæque atro obvelata in veste pulla, purpurea appenduntur parietibus velamina, lampadibus argenteis, coronis, armisque Regiis instruuntur, viginti octo pullata eriguntur vexilla, viginti octo trium Regnorum ducatus primarios repræsentantia. In stragulo super Violacei vel Amethystini coloris pulvinari spectantur imposita Regni diademata, Corona Imperialis Monarchica, sceptra trina, & Globus, hic scutum quadripartitum orbis Britannici, illic ordo Garterii, & gladius, nempe Curtana Divi Eduardi enitebant, stratas inter pullas corusca. Quoniam autem præclaros Divæ Reginæ vultus tot gratiis decoros morbilli offenderant, protuberantes undique, qui faciem vere Augustam atque gloriosam eousque immutaverant, ut privatum Regis Consilium, voluerit, ejus occultari adspectum, tantâ, dum viveret, Majestate resplendentem, quanto nunc defunctæ mœrore refertam. Corpus igitur loculo inclusum Regio

sub

ſub excelſo Convexo a Vigilibus obſervatur Matronis nobilibus, quot horis adſtabant Præficæ mœrentes : Superſtratus erat pannus aureus trama purpurea intextus, fimbria circumcinctus aurata. Sub iſto aſſervatur nobiliſſimum fato Functæ corpus illud, avito de ſanguine natum, in admirationem, dum viveret, ſpectatorum oculos mentemque attollens. Tali pompa, & Majeſtate inſtructum, atque exornatum erat Reginæ lectiſternium. Surſum verſus lacunar Diva Imperatrix ad Cœlum evehi ſumma cum pompa & gloria conſpicitur, terras ut altera nobiliorque Aſtrea relinquens, aſſociata a vera in Regnis ſuis reſtaurata Religione, Juſtitia, Legibus, Libertate, Illamque in Cœlum asportantibus, ibidem nobiliore corona gaviſuram in æternum.

Apage Romanorum inanis de ſuorum ſuarumque Principum, & Cæſarum conſecrationibus ineptientium jactantia, credantque Conſecratos ſuos inter Divos relatos. Hæc Inclyta Princeps procul omni dubio, quis enim ambiget? ad Cœlites evecta ſempiter-

nis geſtit jubilis, gaudiis, hymnis, corona radiata, triumphis præclariſſimis, tanquam hujus vitæ miſeriarum omnium, curarum Regni, ac moleſtiarum, inimicorum inſultuum victoriosiſſima Olympionica, cujus ori, non ut antiquitus, placenta inditur, ſed panis, fructusque Arboris vitæ, quæ in medio Paradiſi eſt, æternum ſaturando deliciis, & voluptatibus ad dexteram Excelſi.

Corpus caſſum anima, ablutum, & unctum effertur tandem, & currui lugubri undique patulo imponitur, inſeſſo a parte anteiori, & poſteriori duabus Regni Ducibus, octo equis arma, & inſignia Regni portantibus tracto per plateam Regiam pullato panno octo ulnarum lato ſtratam, ab utraque parte tali panno ſeptis ligneis appenſo circum ſeptam, equitibus tranſitum plebi impedientibus munitam, ſicque Siticinibus præcedentibus deducitur in Sacellum Henrici VII, hic regio incluſum loculo in Auguſtiſſimo Mauſolæo reponitur, cujus quatuor erectæ Pyramides quinquaginta pedes altæ regali teſtudine compinguntur, circumqua-

quaque appenſis lampadibus, Roſis Anglicis, Carduis Scoticis argenteis, aliisque inſcriptionibus inſignitæ, quibus eleganti forma argentei Leones, & Unicornes inſident, ac ſurſum exſilire videntur: veluti in aula, ad quatuor feralis loculi angulos quatuor adſtiterant nobiles Matronæ, quarum in locum ſingulis horis novæ accedebant, ita nunc tres ab unoquoque latere aſſident, a cervicalibus vero primaria omnium Pullatarum Domina, & a pedibus Archicamerarius Reginæ in ſericovilloſis ſedilibus.

Eja glorietur Antiquitas ceream imaginem defuncto Cæſari ſimillimam, deportari ſolitam in forum Romæ vetus, ubi Magiſtratus imperium deponere ſolebant, in Regiæ veſtibulo proponique ſupra eburneum lectum ſublimem, veſtibus inſtratum aureis, circa lectum vero utrinque magnam partem diei ſedere a læva Senatum veſtibus atris amictum, a dextera autem Matronas, quas virorum aut parentum dignitas honeſtabat, harumq. nullam vel aurum geſtantem, vel ornatam monilibus conſpici, ſed veſtibus albis indutam mœrentis ſpeciem exhibentem.

Hinc in Campum Martium, ubi ſuggeſtus ſpecie quadrangula, in tabernaculi formam, lateribus æquis aſſurgebat, interius aridis fomitibus oppletus, extra autem ſtragulis auro intextis, atque eboreis ſignis, variisque picturis exornatus. In Divæ noſtræ Chriſtiana conſecratione multo lautiora videre conceditur, ad quam non per duas aut tres tabernas penetrare datur, ſed per tot Palatii immenſi innumeris receſſibus ſcatentis veſtibula, atria, aulas, loca geniali thoro ſacrata, Regali alias luxu ſplendida, nunc luctu ſquallentia, mœrore, ſingultibus, planctibus, ſuspiriis, imo ululatibus referta, & reſonantia, veſtibus, ſtragulisque pullis ornata, aditus patet ad Sereniſſimæ hujus Reginæ, tam intempeſta hora ablatæ, funeralia cernenda, lugenda, ſtupenda, &, per totidem exitus, ſpectantium venerationem adaugentia.

Sicuti tota urbe quaſi luctus quidam feſta celebritate erat promiscuus, cum functum fato corpus Romani ſepelirent, quoniam Imperii Succeſſor aderat, face tabernaculum, in quod aroma-

aromata, & suffimenta omnis generis, fructus, herbasque, succos omnes odoratos conquirebant, atque acervatim effundebant, incendens, simulque ex eo Aquilam dimittebant evolantem, quæ in Cœlum animam Principis credebatur deferre, qui dein una cum ceteris Numinibus colebatur. Longe excellentiora hic contingunt, & veriora, hic permixta in urbe Londini cum maxima tristitia lætitia adest, non Successore, sed altero Conregnante superstite, Præclarissimo Fortissimoque Auriaco. Loco Aquilæ ad Cœlum avolantis, sancta Principis defunctæ anima festinis in Cœlum remigat alis, Angelorum inter choros Aquilæ instar adscendens, Illiusque colenda memoria in multa secula durabit, & fama Illius magnarum rerum nuncia, magnas ibit per urbes, viresque pro meritis tantæ MARIÆ acquiret eundo. Antequam autem progediamur, juxta rogos, bustumque Reginæ parumper subsistite, Epitaphium ejus sepulchro conveniens devote legentes.

Siste gradum Viator, mira leges.
Hic jacet, quæ victa nunquam jacuit.
Per quam innumeri jacentes, jam stant pede firmo.
Jacet, sed non tacet, stupentes & præ mœrore fere mutos
Loquentes facit.
O spe duplici beatum magnæ magnum Britanniæ Regnum!
Fælices terque quaterque Britanni,
Si mors Reginæ tam præmatura non irrupisset.
Non est, quod luctum fingatis ridentes Præficæ.
Ridet quidem rapax mors.
Sed ejulant tria Regna, septem Respublicæ, & qui non?
Premebant venti murmura, simul hanc adspiciebant
Anglici Littoris Halcyonem.
Hæc jamjam labantis restituens seculi ruinam,
Corruentis Imperii Britannici fulcrum.
Sternens gigantes, sed sine fulmine.
Vincens Rebelles, sed sine sanguine.
Siccos amans triumphos.
Flos Prudentiæ, Imago Comitatis, antiquæ Æmula hospitalitatis,
Orthodoxiæ tenacissima, Exemplar Fidei absque fuco,
Idea gravitatis absque nube, non hujus ævi,
Sed qualem aurea secula progenuere.
Candoris typus absque fraude, pacis studiosissima, litis Arbitra.
Cordium Gluten, Fanaticorum malleus.
Hydram popularem domare, ut Hercules,
Capita usque pullantia resecare,
E Regno informe Chaos pellere, docta.
Flagellum malis. Azylum bonis.
Hoc jacet sepulchro.

Hæc litem publicam modis dulcisonis compescuisset.
Feras, ut Orpheus, flexanimis sonis mollivisset,
Pacem pulsam, jusque mundo redintegrasset.
Consilio Illius dissita pectora coaluissent,
Schismate diruta mœnia coivissent,
ne plura accumulem:
Tanta Regina conditur hoc tumulo;
Humatur in terra, cum qua sepultæ virtutes jacent.
Omnium denique laudum compendium,
Et quia Hanc fato majorem terra capere non potuit,
petiit Cœlum,
Inter cœtus Angelicos perpetuum modulaturam;

Inchoa jam Melpomene, sed quid agis Pieria? An putas te hisce titulis aliquid posse superaddere, aut æquare tanta nomina, & merita tantæ MARIÆ? quid fundis lugubre melos Siticen? quid funereos paras Præfica Musa modos? Tubæ clangentes, buccina rauca, tympana, Sistra, hæc sunt hisce Exequiis digna Musica. Tu tamen Britannis faustum & venerabile nomen, DIVA MACARITA MARIA, fave, si obturbet, precor patere, tumulum tuum nænia hæc, si mittat inferias tuo busto, sacroque rogo libet honores, quoniam nil tanto dignum fert funere, reliquum secula futura decus supplebunt.

FErtur ab antiqua, primaque ab origine rerum,
Diſſimili forma Plaſtes finxiſſe Prometheus
Mortales, geminos uno de ſemine natos;
Æquales ſumpſiſſe ſibi partesque, tomosque
Limi Elementorum, lachrimis quem miscuit udis:
Particulam ſumpſit Cœli, Cœnique tenacis,
Hæc duo conjunxit, connexuit æthera limo,
Unde homines nati, queis temperiemque caducam
Addidit immixtam, ſolerti corde, manuque.
Intrat Apollineas ædes numeroſa caterva,
Conſedere Dii, disceptant, exoritur lis,
Mortaleis inter luctus ne an gaudia proſint?
Quæ fortuna hominis vitæ dominabitur olim?
Phœbus in Ambiguo eſt, trutinat certamina Divum;
Judicat alterno has ſortes ſuccedere caſû,
Perque vices debere ſuas comitare viciſſim,
Mixtus melle dolor, permixtaque felle voluptas,
Poſt breve gaudiolum ut leſſus, planctusque ſubintret;
Nunc teſſellatis lætentur cuncta triumphis,
Temporibus rurſum ſuccedant nubila feſtis,
Excipiantque choros epicedia triſtia lætos:
Hinc varie Fortuna rotat caſusque, vicesque,
Jam modo blanditur, faciem modo ſumit acerbam,
Sicque Hæc inconſtans conſtanter decipit omnes,
Fraudibus innumeris, jungens adverſa ſerenis,
Adſolet eſſe malis arridens, ferrea juſtis,
Et quos attollit, ſubito demittit ad ima:
Hoc hominum eſt. Mea ſic jam pulla in veſte Camœna,

Non

Non viridi lauro, at ferali cincta cupresso,
Et laniata comas, funebri carmine cantat
Pro thalamo tumulum, implens ululatibus auras.
Anglia cum miserum premeretur, dura Tyranni
Tot juga perpetiens, onus intolerabile portans:
Albion heu Regio quando esset facta luporum,
Non vexata feris, vel monstris talibus olim,
Legibus antiquis assueta, ad sydera voces
Sustulit ingeminans, Superi succurrite nobis,
Et vos collapsis rebus date surgere nostris,
Quamque potestis opem nobis adferte benignam,
Invaluit clamor magno certamine vocum,
En crebris precibus Servator præbuit aures,
Suppetiasque suas miseris clementia Divum.
Pertæsa ærumnas afflictæ Numina gentis
Non potuere pati, nec fessus fletibus Æther.
Ecce Aquilonari Gulielmi e climate Classes,
Mosa solventes, stipatas agmine fido,
Partibus Hesperiis advectas, auspice Vento,
Vulturnoque duce ingenti, mirabile dictu!
Appulit in Torbay Nassovius, attigit oras
Angliacas, hominum studiis, Cœloque juvante.
Mox omnes, quos non deceperat impius error,
Attrahit, atque ducem Brittannia læta reperta est,
Quanti clamores, quæ pompa recepit in urbem
Te Princeps? quantis resonabat vocibus aer!
Et quam splendebant festivis ignibus ædes!
Quis referet nobis, quis lætaque vota diei

Tantæ narrabit, numeret vel gaudia gentis?
Salve magna dies, alboque notanda lapillo,
Æternum insculpi digna es tu marmore sacro.
Angliaci populi natalis jure vocanda es.
Te rediviva suum celebrat Brittannia Patrem,
Patronumque suum Te, Princeps magne, salutat:
Tutelaris eras oppressis Angelus Anglis;
Quot Portenta hominum, quot per Te Monstra subacta?
Non vi, sed visu, prorsus sine sanguine fuso.
Dulcia quam longè superant hæc, illa trophæa,
Magnus Alexander quæ rettulit, orbe superbus
Devicto, multo diroque sacrata cruore?
Non armis, sed amore tui, sine cæde triumphos
Anglia gratata est tantos Tibi, maxime Cæsar.
Anno præterito Tu Jubila quanta ferebas,
Londini quantis intrabas plausibus urbem,
Magne redux Gulielme, tua de gente Britanna?
Quam subito inversum deflet nunc Anglia fatum?
Induit haud albas, sed vestes Albion atras.
Ferali resonant jam tintinnabula lessu,
Belgis nunc ingens dolor, ast ingentior Anglis.
Conjugis ô utinam bustum si, Maxime Regum,
Cyro non cedens, Augusti & Cæsaris instar,
Necdum vidisses, neu tam ferale sepulchrum,
Quam felix tum Britto miser, tum Belga fuisset!
Quam felix Scotus! qui nunc suspiria tollunt
Ad Superos, gemitusque suos ad sydera volvunt;
Tu memor es, suavem Te Rex habuisse Mariam,

Ast

Aſt habuiſſe doles, & queſtu pectora rumpis,
Cui ſimilem mundus videt haud, nunquamve videbit:
Omnia clara illi dederant natura, Deusque,
Clarus & a populis propriis honor undique crevit.
Gentis amorque timorque fuit celſiſſima Princeps,
Illius Aula fuit profugis optabile caſtrum,
Quo velut ad tutum confugit quisquis azylum.
Adjuvit miſeros illosque in tecta recepit,
Fida Viro Conjux, abſentis ſceptra tenebat,
Servabatque pie, Patriamque inſtruxit in armis:
Jura dabat populo, cum tu Rex bella gerebas,
Quando ſagatus eras in caſtris, Illa togata
Conſcendit ſolium, redimita ad tempora lauro.
Claſſes armavit, Ludovicum vicit, abegit,
Combuſſit naves, dirum ringente Tyranno.
Auratasque rates ſævis ſubmerſit in undis,
Quantumvis fremeret Verſalia ſanguine tincta,
Oppida & illius comburens adſita ponto,
Horrorem incuſſit Gallis victricibus armis:
Obſtupuere omnes hoſtes, ſpectante Parente
Jacobo, extorri, exuto diademate Regni.
Victrix ergo caput Brittannica Laurea cinxit,
Illi continuo florebit gloria ſeclo:
Et clemens, & fortis erat, tu bellicus Heros,
Alter tu Barack noſter, ſed Debora, Dorcas
Illa fuit Batavis, Anglis, miſerisque benigna.
In qua, fulciri Regnum debebat avitum.
Quis ſex atque decem tales numeraverit annos?

Quando nupta viro facta eſt exemplar amoris,
Connubii ſervans leges caſteque pieque.
Quis ſex imperii tales mihi computet annos?
Quando Monarcha fuit tanto cum Rege Monarcha,
Regibus oſtendit ſine cæde domare malignos,
Vos ergo cuncti Reges epicedia veſtris,
Illius in laudem Reginæ, ſcribite ſceptris.
Cum ſervile jugum miſeros oppreſſerat Anglos,
Hæc domita illius dextra eſt mala beſtia Regnis,
Fortior eſt multo, qui leni cogit habena,
Quam qui Lernæos haſta confoderit angues,
Aut Erymanthæos apros, torvosve leones.
Votum erat, hoc Pyliam caput exſuperáre ſenectam,
Sed capiti tanto non Parca ſceleſta pepercit.
Fortior eſt etenim qui fræno & carcere vincit,
Compone hiſtorias, anus has non credula credet:
Orbis res geſtas, & Regum perlege faſtos,
Nulla dabunt ſimiles, nulla unquam ſecla dederunt.
Deliciæ humani generis, gentisque Britannæ,
Magna Reformatæ Regina, ac maxima Veræ
Relligionis erat, caput, ac blandiſſima Nutrix.
Sancta ubi juſtitia, atque fides, pietasque morantur,
Iſtæ ubi tres Charites fixere locumque domumque,
Tale caput meruit trino diademate cingi:
Frontem igitur cinxit Reginæ regia vitta,
Quæ virtute dies anteivit, dotibus annos,
Et trinæ extinxit lumenque jubarque coronæ
Virtutis radiis, quæ neſcia cedere fato eſt.

Eluxit

Eluxit magnis innata modeſtia rebus,
Magnanima ac humilis ſolium conſcendit eburnum,
Junctis compta manens binis virtutibus hisce,
Enthea condecoret redolens hæc tempora laurus,
Æternosque gerat pia frons hæc frondis honores,
Tam pia, tamque potens, tam dives, tamque pudica,
Tam formoſa Venus, prudens ſapiensque Minerva,
Unius has dotes numera, vel mente revolve:
Anglia non poterit ſimilem reperire, paremve.
Regia erat Conjux, & Regia Filia, Neptis
Regia, Mortalis ſuperet ne culmen honoris,
Principis ante diem mors ſuſtulit invida vitam.
Uxor amans conſtante ſuum fervore Maritum,
Ocius oppetiit mortem, quam debuit, orbi:
Haud majore unquam Rex ullus Conjuge plauſit;
Officio thalami ſi quæ præcelluit unquam,
Hæc Regina tenet primas, vel judice Momo.
Ut Fratrem Pollux moriendo a morte reduxit,
Quod Vates referunt, nobis quod carmina dicunt.
Crederis hoc idem pro Conjuge velle ſubire
Tam caſta, quoniam bis cordis ſenſeris, ô Rex!
Deliquium, gelidæ quod viva eſt mortis imago.
Non ſic Penelope morata ardebat Ulyſſem,
Quam te deperiit conſtanti cordis amore.
Scotorum Regina ferox, tu ſæva Maria,
Horrendum monſtrum, madefactum ſanguine lutum,
Quippe cremando homines, animum ſatiando cruore,
Cædibus immanis gaudebas pascere luxum.

Tuque trium Regum mater furibunda Maria
De Medices, procul hinc ambæ, procul ite ſceleſtæ.
Hæc erat Abigail prudens, formoſior Eſther,
Altera de Thekoa ſapiens hæc femina Mater.
Vos Helena, & Livia, Artemiſia, Porcia, magnis
Dotibus inſignes, Huic uni cedite palmas.
Mater Alexandri minor Hac Olympias ingens,
Tam bene non decorata Anthoni Fulvia Conjux.
Non habet Elyſabetha parem, ſed pulchrior illa,
Hæc ſuperat Princeps raris virtutibus illam.
Artibus, ingenio, forma, pietate celebris.
Unica Te vincit ſolum, ſuperatque Maria,
Mater caſta Dei benedicta, ſacerrima Virgo.
Si foret Andinus Vates Tibi buccina laudum,
Longe Virgilius titulis foret omnibus impar.
Nobilis hæc Princeps inter caput extulit omnes,
Quantum ſol oriens inter ſua ſydera ſplendet,
Quantum celſa Cedrus Libani capite emicat inter
Terreſtres hederas, & vilia gramina campi,
Quantum auro cedit ferrum, virtutibus aurum.
Quantum inter cunctas volucres ſolet unica Phœnix,
Unica ſolis avis de ſe moriente reſurgens.
Cedite quondam Aſiæ Reginæ Heroides, una hæc
Regnorum imperio trinorum digna Maria eſt.
Juppiter & Pallas, Juno, Diana, Venusque,
Mavors, Dii omnes Superi obſtupuere, Deæque,
Utque erat attonitus Titan, nil pulchrius olim
Terra habuit, decus, & formam, ſanctumque pudorem

Abſtu-

Abſtulit hæc ſecum , quando ſuper aſtra volavit,
Dumque Polum radiis luſtrat, mœſtiſſima tanto
Perpetuum caritura dein ſit Numine tellus.
Clauſerat en furtim vix Regia lumina Morpheus,
Quum ſubito , non auſa alias , mors callida tentat
Conjugis Auguſtæ thalamos , prædamque reportat.
Obtulit interea Regi ſe Fæmina formam
Mortalem ſuperans , rutilans ut Cynthia pernox,
Velata æthereo jubare, ac ſplendentibus aſtris,
Somnia dum carpit, ſub Relligionis amictu :
Sopito affulgens, verbis que affatur amicis,
Nonne tuam aſſiduo conſuevi claudere dextram ?
Nonne tuos ubicunque gradus comitare ſolebam?
Oppreſſos monui toties ſervare Britannos,
Tuque inflammatus monitis, atque acer in armis,
Cernis , ut eventus ſuccedant hactenus auſis.
Sic Tibi Majeſtas fixa eſt, Tibi ſceptra paraſti :
Ergo tuum eſt meminiſſe mei , cumulare trophæa
Fata volunt, Tibi colla dabit ſua Gallicus hoſtis.
Sic monet in ſomnis, mox ſplendida terret imago,
Adſpiciens propius Rex comperit eſſe Mariam,
Quo magis evigilat , fraudes mage mortis iniquas
Adſpicit, & plorat caſſo conamine Princeps,
Et ſuperincumbit lecto illachrimansque gemensque :
Plus æquo queritur fata ipſi dura fuiſſe:
Ingemit, atque aulam magnis ſingultibus implet,
Concitat & largos fletus , ſuſpiria ducit,
Exſtinctam Irrorat lachrimis , tum fundere verba

Tentat, pro verbis gemitusque lamentaque fundit.
Fata thori vidui deplorat triſtia lugens,
Proque die feſto thalami, moeſtiſſima ducit
Funera, conſilio defunctæ Conjugis orbus.
Ut fidus ſuavi viduatus Compare Turtur,
Qui ſecum amiſſos raucus ſuſpirat amores,
Singultu, gemituque pio jejunia pascens.
Rex, jure inclamas, quid tollis Parca Mariam?
Vere dimidium eſt animæ, cordisque, meique.
O me Seminecem, jam Te ſine, vivere, Conjux,
Tædet, commorior, tecum commigro ſub umbras.
Bella Maria mea es, pulcherrima digna vocari,
Quam Tu ſæpe mihi procedens obvia facta es?
Sanguine conſperſum excipiens me in limine Regni,
Cum lauro occurrens redeuntem amplexa tenellis
Palmis ambabus, poſt tot diſcrimina belli,
Ambiguos poſt tot conflictus ſanguinolentos,
Quam mihi ſueta latus pugnaci accingere ferro,
Quam decorare caput galea, clypeoque lacertos?
Diligo te, colo te, veneror te, in pectore geſto,
Millenis vicibus te amplector, corde recondo,
Tuque Maria mihi Mare nectaris, undique dulce,
Omnia amara Throni mihi mellificare valebas;
Improba tu Lacheſis dirumpis ſtamina vitæ
Conjugis? an precibus non vis votisque moveri?
Sed penitus ſurda eſt, & carmine neſcia flecti,
Conjux occubuit tam pulchra, atque inclyta Mundo.
Pignus erat ſceptri tibi, præſidiumque coronæ.

Regni

Regni tutamen, ſolamen dulce laborum.
Deſerit Angliacas Anglorum gloria terras,
Et petit Angelicas ſedes hæc Diva, domoſque:
Belgas relliquit, ſuperis allabitur oris.
Regno magna fuit, major virtute Monarcha,
Maxima jam facta eſt, ad Cœli evecta triumphos.
Ergo tu Princeps animum Tibi ſume virilem,
Quippe Tibi ſociam dedit hanc Deus optimus, ille
Abſtulit Hanc, ut nempe ſuam conceſſerat antè,
Ille ſuum repetit, Tu neque accepta recuſes
Reddere, jure poteſt hominum quæ nemo tenere:
Cur, ſuperi quod agunt, mortalia pectora culpent?
Quandoquidem non una Tibi ſit cauſa doloris,
Hæc tamen ex cunctis juſtiſſima, ſumma putatur,
Quod tulit immitis tam cito Parca Mariam,
Nulli mente ſacra, nulli pietate ſecundam,
Cui quanquam ſpecies ingens, & origo niteret,
Attamen anguſtis mens illi auguſtior annis.
Si Probitas Morum, Clementia, Forma, Venuſtas,
Faucibus eriperent terrena hæc corpora mortis,
Vel Parcæ differre colos, & ſiſtere penſa
Heu valuere unquam, dona hæc indigna ſepulchro,
Cunctæ hæ virtutes perpulchræ in corpore pulchro,
In vivis eſſes Brittannæ gloria terræ,
Fugiſſes Regina necem, buſtumque, rogumque,
Tu longæva fores, vita digniſſima Princeps,
Majoreſque moras in mundo, & longius ævum
Traxiſſes, frueremur adhuc Te Magna Maria:

Sed nihil iſta juvant, ſtat inexorabile lethum,
Parcarum rigidam potuere haud flectere trigam,
Quin potius minuiſſe Illius ſuſpicor ævum.
Te Rex, Te populus tuus, atque Senatus egebant,
Quamvis Summopere indigeant, Tu deſeris orbem,
Hinc Te præcipiti fato gens plorat ademptam,
Præluxti cunctis, veluti ſol aureus orbi,
Clarior exemplo morum, & probitate coruſcas,
Tamne immaturo Tu funere merſa jaces hic?
Nempe Piam Sanctamque adeo juvenilibus annis
Atropos adſpiciens, vetulam tum credidit eſſe.
Infauſtus Parcarum error! Sic rapta receſſit,
Neſtorios annos quæ vivere digna putata eſt.
Quid non Parca capit? tumulo pretioſa recondit,
Optima prædatur, manibusque rapacibus aufert:
Quam Libitina furit! Noſtras rapit undique gazas,
Eripit & nobis chariſſima pignora quæque,
Eripit ex gremio, buſtoque reponit avara.
Præcoces nimium fructus Proſerpina carpit,
Linquitis ergo nihil mortalibus invida fata?
Debenturne igitur vobis lectiſſima noſtra?
Quod vile eſt temnit, vulgaria fercula ſpernit
Mors fera, Regali veſcuntur funere Manes.
Heu Parcam inviſam! quæ ſic furibunda per orbem
Sævis, in quosvis atroces injicis ungues;
Quam ſevere acuis Magnorum in funera dentes?
Sanguine Nobilium crudelia ſpicula tingis,
Nec genus, aut virtus, pietas non profuit ulli:

Ut

Ut rabidus ſtimulante fame omnia devorat urſus,
Ac lupus inſidians pavidum divaſtat ovile,
Non curans nivei ſit an atri velleris agna,
Sic quoque non parcit mors Magnis, invida cunctis,
Noſtra licet Princeps generoſa ab origine nata,
Et quæ fæminei fuerat primaria Sexus,
Annos Phœnicis longævos vivere digna.
Serica vituperat ſicuti villoſa, parique
Diſparibus letho ſternuntur corpora lectis;
Injicit illa manus Summis, non excipit ullos,
In mundo tantum qui dignoscuntur, honores,
Regibus ut parcat, nullo corrumpitur auro;
Mille modis homines miſeros hæc una fatigat,
Usque adeo hoc rigidum eſt, & inevitabile fatum,
Tam de plebe ſati, quam Regum ſanguine creti,
Omnia ſed Lacheſi jam ſunt obnoxia diræ.
Nunc quoniam in terris hæc lux brevis occidit illi,
Britones & Viſi tali tantaque Maria
Haud digni, maneat noſtris innexa medullis
Fama, decusque ejus, prudens regimenque Thronusque.
Interea exſurgens Regina, ex Marmore clamat,
Siſte Anglus, ſubito morientem conſpice memet,
Reſpice me, me conde animo, me in pectore ſerva.
Talibus orſa modis converſa ad Conjugis ora,
Tu Gulielme potens, ſume arma, & ſtrenuus eſto,
Magne Gubernator Belgarum, acerrime bello,
Europæ peſtes Gallos, hæc monſtra fugato.
Bella geras, ſancta pro lege, & gente Britanna,

Gloria crefcit enim fpinas difcriminis inter.
Adfpicit e Cœlo Deus ultor, fortiter infta,
Ardua agenda Tibi res eft, magnique laboris.
Europam patulis fervare ex gutture rauco
Gallorum Regis, Cacus hic crudelis & ipfe eft,
Prædo ingens, raptorque, latro, pejorque Nerone;
Hic Romam incendit, fed fævior ille Tyrannus
Oppida vaftavit, fpoliavit, templa redegit
In cineres, altas turres ad fydera ftructas
In nihilum, viduis, aris minimeque pepercit,
Non rebus facris, Electorisque fepulchro,
Urnam diffregit, corpus nudavit, & offa
Calcavit pedibus, facinus vah morte piandum!
Tu cape vindictas, Junctorum atque affere caufam,
Enfe triumphabis, Domini confide fub umbra,
Hoftili turma crudeliter undique cinctus,
Sæpe evafifti, veluti Leo fortis & audax,
Obfeffus canibus, volat hic per tela per ignes,
Attamen evadit difcrimen falvus, ovansque.
Ut pius Æneas circumdatus undique turmis,
Myrmidonum, Dolopumque manus effugit iniquas.
Te medias inter ftrages, cladesque tuorum,
Reddidit incolumem Dominus, folioque locavit.
Te confervavit poft mille pericula tutum,
Reftituitque tuis ereptum ex ore luporum.
Hoc fuperum favor, & divina potentia Cœli
Sæpe Tibi fecere, inter media agmina campi.
Pars animæ dilecta meæ, Tibi linquere vellem

Sit

Sit modo fas, quos sæva mihi rapit Atropos, annos:
Quam doleo esse opus abruptum mihi nobile pacis!
Sed quanquam haud potui pacem componere viva,
Quid scis, post obitum citius ne optata resurgat?
Noli te nimium, densis stipata catervis
Quando acies hostilis adest, miscere phalangi,
Non Te Brittannus poterit, non Belga carere,
Te caruisse illis periisse, & summa ruina est.
Ergo tuæ parcas vitæ, nec prodigus esto
Corporeæ molis, solidæ stent robore vires.
Tecum Belga tuus, tecum Brittannia vivit,
Et tecum moritur, sors est communis utrisque.
Exitiumque tuum est illis certissima clades.
Non obeo, ast abeo, terris mea fama manebit:
Sic ait, & gemitus hæc ultima verba dederunt,
Sat vixi, dixit, tumulo caput abdidit atro.
En jubar exsurgens tumulo se syderis instar
Collocat in Cœlis subito, velut Astra coruscum,
Zodiaci signum supra Cœleste Leonis,
Clarius elucens Polluce, & Castore faustis:
Nempe ibi splendebunt justi super æthera, Solis
Consimiles rapidi, ut rutilo cum lumine stellæ.
Sed quid nunc Anglis restat, nisi magna ruina?
Cum cecidit miseris tam firma columna Britannis,
Virtute & meritis nulli cessura priorum,
Occidit heu Atlas, Regni qui fulciit axem,
Occidit heu Princeps annis dignissima longis!
Sublatam ingemuere omnes, sed præ omnibus Angli,

Qui nunc, ut referant Illi quæ præmia possunt,
Defunctam celebrant, a cœca mortis opacæ
Oblivione suam servantque, coluntque Mariam;
Quid manet in terris, hac visa Principe, visu
Dignum nunc? oculis hic nostris occubuit Sol
Lætitiæ, Belgis Anglisque dolentibus una.
O Regina vale, salve Pietatis Amatrix,
Virtutisque vale, valeas sub marmoris umbra,
Elysiisque vale in campis, Regina valeto,
Gratius Ætherea Domini quid quæso quiete
Jam Tibi Cœlesti poterit contingere in aula?
I Proba, cum Superis felicibus utere fatis,
Æternum ô Formosa vale, ô suavissima Princeps,
Tuque pia umbra vale, inferias & justa sepulchro
Solvimus, ast animo largimur vota, precesque,
Mens tua syderea Sanctis conregnet in arce.
Nectare, & ambrosia Cœlesti vescere abunde,
In Cœlis requiem cape perpetuamque coronam,
Donec membra cavis hodie sopita cavernis,
Æthereæ revocata tubæ mox voce resurgant.
Ergo ego, quid cineres memorem, quid marmor, & urnam;
Hæc quoniam vivit, dum sit post fata superstes.
O, quam Te laudem, Cœlestis Fœmina felix,
Mersa diu rursum caput extulit Anglia per Te,
Per Te magna Deus fecit, quæ vidimus acta,
Vix aliquis posthac, ac ne vix acta putabit,
Teque Tuumque decus semper mirabitur orbis,
Totque Tibi in Cippo tituli, quot Sceptra gerebas,

Quin

Quin quoq; virtutes quot condecorare valebant
Et famam, nomenque tuum; monumenta Tibi ſint,
Præterita aut præſens, ætas vel poſtera quicquid
Fecerit in laudem Tibi, vel cantaverit unquam;
Semper erunt meritis, quæ ſolvet, juſta minora:
Marmoreum Tibi ſint Anglorum pectora buſtum,
Nempe tua æternum vivet poſt funera virtus.
Siſte tuos tandem planctus Rex magne frequentes;
Eſt quædam virtus, crudelia fata dolere,
Sed tamen immodice, nimiumque dolere nocebit.
Ne Tibi continuus perimat præcordia mœror,
Princeps magne vige, Tu dignus nomine Magni;
Tot Tibi pro threnis epinicia mille redundent,
Totque annos Superi, demptos de Conjugis annis,
Denique tot Tibi jam, poſt triſtia, læta rependant,
Quot nunc ad Cœlos ſuſpiria tollis in altum.
Conjugis heu tantæ corpus migravit in urnam,
Non intrant Pietas, non Speſque, Fideſque ſepulchrum,
Spiritus ad Superos feſtinis remigat alis,
Et jam ſumma tenet Cælorum, & ſydera calcat,
Durabuntque ejus Majeſtas, Gloria, Fama,
Æthera dum ſtellas, donec Mare commovet undas,
Utque Duces alias terris excelluit inter,
Sic Ea nunc aliis Cœlo ſupereminet alto.
O Regina Parens! nec tam cito debita Cœlo!
Tu dolor, atque decus, Princeps chariſſima noſtrum,
Quo fugis, ah vitam, Patriam, Regnumque relinquis,
Vixque ſalutatos heu Belgas atque Britannos?

Tum Natura parens, tum virtu smaſcula, & alma,
Gloria tum celebris, tum mors inopina feroxque,
In Te certarunt totas oſtendere vires,
Ecce probam fecit Virtus, Natura decoram,
Immatura brevem Tibi mors dedit eſſe dierum,
Gloria perpetuum vivens florebit in ævum.
Macte ergo Princeps, nam Te mors ipſa fatetur
Non potuiſſe aliter vinci, niſi fraude, doloque.
O Parcæ immites, & ineluctabile lethum!
Siccine Fatorum manet invariabilis ordo,
Cauſarum ſeries fixa, & ſors omnia verſans?
Septem vix oculis conſpexerat ordine ſoles
Menſis Brumalis, qui ſervat nomina Jani,
Quando Mariæ oculos denſæ clauſere tenebræ:
Janua ſic anni fuit illi Janua mortis,
Et finem fatis anni redeuntis origo
Principis imponens, vitam cum ſanguine fudit.
Liquimur in leſſus, quid adhuc ſub ſole moramur?
Obruimur lachrymis, confundimur undique luctu,
Plorant Cœlicolæ, rutilantia ſydera plorant,
Plorant Terrigenæ, triſti cum murmure plorant,
Plorant lugenti labentia flumina rivo,
Plorat ager, plorant & germina, plorat & annus,
Plorant & Charites, plorant & denique Muſæ.
Una ululant cunctæ gentes ob funera Matris.
Aula ſtupet, Proceres moerent, & Regia luget,
Lumen enim Regni extinctum eſt, & Agalma refulgens.
Littora littoribus reboant contraria planctu,

Cum

Cum noſtra occubuit propere Themis, optima Mater.
O Probitas, O Juſtitiæ inconcuſſa Columna!
Condoleant omnes, quibus eſt Eccleſia curæ;
Lugeat & triſti jam Patria ſqualida vultu,
Et laceræ inferias certant perſolvere Nymphæ;
Najades, & Dryades ſternunt lugubre feretrum.
Deliciis orbata tuis, & pondere luctus
Preſſa Withal graviter Te merge in pulvere mœrens;
Ægra nimis tot fœta malis, ô Haga gemiſce,
Jamque decet muros pictis ſpoliare tapetis,
Jungere pullatas veſtes parietibus altis,
Nunc exuta ſuis Kenſingtonis ejulet Aula
Aulæis lugens, ſolamine neſcia duci:
Optima quandoquidem nunc illi eſt dempta ſupellex,
Dempta ſupellex, cui ſimilis non ædibus ulla eſt.
Tuque Loana domus reſona clamoribus, ingens
Occupet & mœror fontes in ſtagna redactos,
Principis haſce pyras veteres deflete Coloni,
Non plus hoc Numen terreſtre videbitis unquam.
Tu Domus Inferior, Supremaque triſte feretrum
Ducite cum lachrymis, monumentis corpus avitis,
Cui genus a proavis inſigne eſt, condite pulchrum.
Mænia Londini, totam Hagam obtendite pullis,
Et ſuper Oceanum tegumenta nigerrima, leſſus
Spargite plorantes, pelagus Boreale nigreſcat.
Et tria Regna ſimul cingantur veſtibus atris,
Triſtibus æquoribus pullas extendite, ſparſas
Londino Brielam, Berlinum, ac uſque Viennam,

Nunc convexa mihi Cœli pullata videntur,
Tota atrata dolet rerum Natura fatiſcens.
Bellica de malis tollat ſua Navita ſummis
Vexilla, imponens illis ampluſtria nigra.
Præfectusque Maris Ruſſel navalia pinis
Veliferis depicta ſuis inſignia demat,
Et medio malo lugentia pendat ab alto:
Nunc ſibi conjunctas liceat nigreſcere Claſſes.
Tameſis ergo tuum cum Moſa junge fluentum,
Largior ut juncto ſpatietur flumine fletus,
Tameſis & Rhenus deponant gaudia luctu:
Ejulet & Ganges, Tagus, Amſtela, & Antipodum Rex.
Non minor hac clade eſt Anglis data cauſa doloris,
Quam Belgis datus eſt ingens in funere mœror.
Inde pares planctus, communia fata Britannos,
Atque premunt Batavos, & par Libitina retorquet,
Aſt Elegi ſatis eſt: motos componere luctus
Nunc opus, & lachrymis fas eſt imponere finem;
Guiljelmus vivit Princeps, & veſcitur aura:
Auriacus nobis fulgenti charior auro.
Lætare incolumis Londini urbs Principe ſalvo,
Fronte coronata geſtit Naſſovius Heros,
Guiljelmus regnat media ſed parte ſuperſtes,
Sic medios inter luctus gaudebit uterque,
Et Britto, & Batavus, ſociatis viribus ambo.
Atra dies fuerat, cum ſuſtulit Atropos illud
Dimidium Regis, Cæloque, Soloque dolente,
Pullo veſtitu ſqualebat conſcia Tellus,

Flu-

Flumina ſingultus dederant, ventique gementes.
Frigoris aſperitas, bruma undique, frigidus horror.
Solvitur acre gelu, miteſcunt frigora Vere,
Tu cum Vere novo, Rex flore, ut primula Veris,
Martius eſt menſis, Tu noſter Martius Heros,
Scande Thronum Princeps poſt nubila tanta dolorum,
Magnanimo nunc Sceptra tene tria robore ſolus,
Impetuoſorum Regum velut arbiter unus,
Tu tanquam Pollux, Juſti Patronus & æqui,
Tu Phœnix, ingens Atlas, cui tota Britannûm
Incumbit Regni cura, atque columna, decusque,
Tu veluti viridi ſurgens Hyacinthus in horto,
Herous foliis vernis, & odore repletus,
Impiger aſſurgas; tua Princeps regia ſparge
Dona per Occiduum, Septemque ferenda Triones,
Et pete Tu Batavos jamjam Rex Magne Penates,
Acceſſuque tuo noſtras applauſibus imple
Oras, lætitiæ cauſas aperito Batavis,
Cum Menſe Aprili, quo rident floribus agri,
Nunc aperi belli campos, & milite ſtipa;
Expectant Proceres adventum, Caſtraque clamant,
Et conjungendus Junctorum exercitus omnis,
O Gulielme veni, quid differs gaudia noſtra?

Coronidis loco, antequam mea desinat Camœna, quemadmodum Acrostichia sua cecinere Sibyllæ, sic illi similiter allubuit lugubri arundine quadruplicem modulari Acrostichidem: duæ Priores exprimunt primis & ultimis versuum literis nomen MARIA REGINA: duæ posteriores, MARIA STVARTA.

I.

M agne Gubernator Belgarum plange Maria M,
A nglia lugeto Regni tristissima fat A,
R elligio, Cœlum, Tellus, Mare, defleat aëR,
I nclyta Brittannis occumbit gloria RegnI,
A h! plorat fatis inversis Belgica tot A.
R espice Scote miser, funestis planctibus æge R,
E reptum vobis Numen, super omnia suav E,
G ratum Cœlicolis, veluti præcociter Eno G,
I proba cum Superis Seclo gaudeto perenn I,
N empe ibi suscipies curarum dulce levame N,
A ureolam in Cœlis cape glorificata Mari A.

I I.

M agnæ feralem Reginæ plangite Morte M
A ngliacæ, lugete pyras, & tristia bust A,
R ivos effundant lachrymarum Pontus & aë R.
I lla Maria potens Regina in funere trist I:
A h tumulata jacet! lachrymare Britannia Magn A.
R aris virtutum donis decorata meretu R
E xequias similes, quas nulla Britanna vider E
G ens solita est hodie, veteri nec tempore Pele G,
I n Cœlo posita est hæc diva Maria perenn I,
N octe dieque dabit cui Cœli psallere carme N
A gnus, in æternum Regina valeto Mari A.

Mag-

III.

Magnanima occumbit Princeps: heu! plangite morteM,
Ah Patriæ Mater, noſtrum decus, Alma MariA,
Relligionis Apex puræ! Prudentia, CandoR,
In Te lucebant, Cultrix virtutis, & æquI.
Artis & Ingenii dives, Tu laudibus amplA,
Suavis & eloquio, nivea probitate CelebriS,
Terra tegit corpus, ſed Mens ſuper aſtra recumbiT,
Ut ſatietur ibi pia Princeps ubere fructU,
Atque Dei laudes decantet voce ſonorA,
Regno perpetuum Cœleſti Hæc Diva FruatuR,
Trux & ſurda rapit Te mors, buſtoque recondiT,
Aſt Supera nobis poſthæc redderis in AulA.

IV.

Mater obit Patriæ prudens, quæ deſerit orbeM,
Anglis ante diem, occumbens ut Cynthia clarA,
Regina alma ſuis Brittannis, proh dolor! ateR
Ille dies lethi Regnis, quem voce gementI
Anglica plebs luget, quem deflet Belgica totA;
Spiritus ad Superas liber migravit in AulaS,
Tempus edax rerum nunquam tua nomina rodeT;
Unica Solis Avis permulcens omnia cantU,
Anchora Sacra tuis, depreſſis firma columnA,
Rupes tuta tuis, animi cui nobile robuR
Temporibus duris, ac proſperitate vigebaT,
Ad Cœlos remeas ſurſum revocata MariA.

N. B:

PAg. 11. l. 21. lege potius, p. 24. l. 27. l. pullulantia. p. 30. verſ. 2. *Connubis*. & p. 40. verſ. 3 *oblivione*, dixi per ſynecphoneſin, juxta illud Virg. l. 1. verſ. 77. Connubio jungam ſtabili &c. lib. 2. verſ. 16. ſectaque intexunt abiete coſtas. pag. 37. verſ. 22. Siſte Anglus per ἀντίθεσιν, juxta Virg. l. 1. verſ. 40. Adſis lætitiæ Bacchus dator. & lib. 12. verſ. 192. ſocer arma Latinus habeto.

Explicatio præcedentis tabulæ.

No.

1 FUnus Reginæ in medio Mauſolæi depoſitum, in cujus locum poſtea imago cerea collocabitur.

2 Domina Dux de Sommerſet, Pullatarum Primaria.

3 Menſa & liber precum ejuſdem Dominæ.

4 Duæ domicellæ ex curru lugubri.

5 Dominus Cubicularius, menſæ, cui impoſita erant Regalia Regni, aſſidens.

6 Dominæ duces ab utraque parte.

7 Domicellæ prætextatæ in primo lugubri clauſtro lychnuchis argenteis adornato.

8 Nobiles Palatii Reginæ.

9 Nobiles Cubiculi Reginæ.

10 Vexilla pullata Regni margini Clauſtrorum undique infixa, Mauſolæum circumcingentia.

11 Nobiles Mercenarii paribus junctis diſpoſiti ad finem Chori interioris.

12 Quatuor Pyramides 55 pedes altæ, nigro gummi obductæ innitentes toreumati ex argento Floribus cælato, in quibus Reginæ inſignia erant cælata ſimul & coronæ Monarchales; pleraque ligamenta cernebantur argentea: ut etiam earum baſes paribus ligamentis erant junctæ, orbes earum nigro ſericovilloſo erant obducti eorumque margines interiores argenteis fimbriis denticulatis inſigniti: Pyramides porro argenteis nominibus tortili flore ligatis, crucibusque ſtellatis ordinis alternatim affabre cælatæ, hiſce Pyramidibus ſuperimpoſiti erant argentei Leones Britanniæ, ut & ex eadem materia Unicornes Scotiæ.

13 Ex Convexo ac teſtudine Mauſolæi media parte pendebant argentea Regni inſignia.

14 Apici Mauſolæi ſuperimpoſiti erant tres argentei Angeli geſtantes urnam lacrimis excipiendis deſtinatam, inter quos Labara Monarchalia eminebant.

15 Ex ambitu inferiore undiquaque pendebant nigræ ligneæ campanulæ præſtantiſſimo panno pullo tectæ, in quibus cernere dabatur Imperii inſigne Unionis, Roſæ, Cardui, Lyræ ex artificioſiſſime elaborato argento, quibusque annexæ erant ſolidiſſimæ Fimbriæ.

16 17. Ad quatuor Angelos chori extendebantur vexilla Anglicæ & Scoticæ expeditionis pro Sancta cruce.

18 Extremæ ambages illuminabantur ſex argenteis lampadibus.

19 Cathedra ex qua Archiepiſcopus defunctam laudabat.

20 Suggeſtus Præcentoris.

21 Orcheſtra in qua ſedebant Regni Magnates.

22 Sedile Oratori eorum deſtinatum.

23 Subſellia Patrum conſcriptorum.

24 Exedra Nobilliſſimorum Regni Magnatum.

25 Sedilia exteris Legatis & Miniſtris aſſignata.

26 Chori pars poſterior, ex qua tenditur ad Regios tumulos.

27 Membra nobiliora omnium ordinum, ubi alias Cœtus Eccl. Weſtmunſterienſis ſedere ſolet.

28 Decani Sedes.

29 Organum.

30 Sedes circumquaque diſpoſitæ poſt chori ambitum.

31 Teſtudo, quam ſupra defunctæ funus Reginæ geſtarunt in Templo.

32 Sereniſſimæ Reginæ funus in medio Mauſolæi depoſitum ut videre eſt No. 1.

33 Octo nobiles fornicem gerentes.

34 Syrmatophorus ipſorum.

35 Sex Regni Magnates ſyrmata Pallæ vel ſuperioris tegminis pullati ſuſtinentes.

36 Valvæ Penetralium.

37 Satellites ut & prætoriani milites plebem arcentes, ut tranſitus liberior eſſet iis, qui in funus prodibant ſuper pannum tabulato ligneo ſuperſtratum a Withal ad penetralia Abbatiæ.



Obitus



1. Thorus Regius in Augusto Kensingtonis Cubicul
cui moribunda incumbit Regina 7. Jan. St. N. H
post mediam noctem prima, occumbens.
2. Archiepiscopus Cantuariensis Tenison.
3. Concilium Medicorum.

. Majeſtatis.



4. Ipſe Rex ſuſpiria agonizantis Reginæ extrema excipiens.
5. Magnates Regni, privatumque Conſilium.
6. Prætextatæ Aulicæ.
7. Aſſeclæ, & Nobiliores, per vices, Vigiles.




1. Loculus duplicatus, Violaceo Serico villoſo cöopertus, Roſis, Carduis, Liliis aureis interſtincto
2. Diadema Monarchale, Sceptra, &c. impoſita Pulvinari ex Serico Villoſo Violaceo, appenſis nodis ex auro fimbriatis.
3. Galea Regni Criſta inſignis, pallioloque interius muribus Rufficis, ſeu Herminis ornato. Gladius S[ti]. Edoardi, Curtana dictus, Scutum Monarchale & Ordo Garterius.
4. Prætextatæ lugubres, ut Præficæ &c. In Clauſtro pullis Velaminibus tecto, utrinque patenti.
5. Stationariæ Dominæ Excubiis viciſſim inſervientes.

Oſtentiferum.



6. Vexilla Regni, ut Aquilæ Ducatuum, Comitatuum & Candelabra argentea Clauſtro inſerta.
7. Convexum Throni Auguſtiſſimum &c. Cujus ſtamina ex Serico Villoſo Violaceo aureis ornamentis picta, & illis ſuper indita inſignia litteraria ex argento affabre cuſa.
8. Inſignia Monarchiæ Britannicæ lugubri Velamini impoſita, Archilychnucho argenteo illuſtrata.
9. Scuta Regnorum trium, nec non Galliæ, parieti velato appenſa.
10. Lychnides argenteæ, innumeris luminibus ſcatentes.



Getekent na de Orgineele Tekening van t'Hof voor Mr. Romeyn de Hooge.
Commissaris van syn Kon:e Mayest: van Groot Brittannien.


Uit gegeven by PIETER PERSOY, op den Dam op de Hoek van de Beurs straat tot Amsteldam, met Privilegie
van haar Ed: H: M: Mogo: de Heere Staten van Holland & West Vriesland etc.

Porta, pullo velamine undi



1. Amphitheatralis introitus, tribus Palatii Portis decorus, undiquaque nigro tegmine tectis. Per quas Primates coibant.
2. Basilica.
3. Aulicorum Receptacula.
4. Domus epulis publicis & Comitialibus dicata.
5. Gradus, per quos, ex aula, in domum epulis dicatam descendere solent.
6. Currus lugubris incomtus, auro ac violaceo colore ornatus, Nomine, aliisque Reginæ insignibus, per binos Angelos ad Tholum erectis: superne Laminis aureis, inferne Regni insignibus cœlatum. Purpura addita erat Violacea, fimbriæ aureæ, Leo Britannicus, ac Unicornis Scotiæ inauratus; sedilia Domicellarum aulicarum duarum aureis coccineisque Dorsalibus: aurigæ locus vacuus relinquibatur. Loco, inter binas Domicellas intermedio, violaceo stragulo, auratis villis ornato

e tecta, Palatii Withal.



impositum erat Reginæ Funus, quod tectum erat Palla, seu superiori velamine pullo, per sex Regni Magnates sustentato, cui pulvinar cum Regiis ornamentis superimpositum erat: Columnæ fornicem currus sustinentes poterant Cochleis striatis erigi ac dimitti, secundum altitudinem angiportuum, per quos transeundum erat, currus ab anteriore ac posteriore parte, conchis auratis claudebatur, rotæ aliaque auro obducta erant.

7. Equi lugubres absque ullo ornatu adducti.
8. Dominus (Milord Cuts) Præfectus Cohortium vigiliæ destinatæ ad vim per omnes vicos, si quæ forte ingrueret, arcendam.
9. Equile Equitum prætorianorum ab una parte areæ Palatii Withal.
o. Porta Basilicæ vetus, per quam Pompa funebris, in Regiam viam transibat.

E

1. Miniſtri Tribuni, vulgo Mareſchalchi liberum tranſitum per vias facientes, quæ ſedecim pedes latæ pullato panno ſtratæ, ab utraque parte eodem panno ſeptis ligneis appenſo circumſeptæ erant.
2. Lictores de viis curandis.
3. Miniſtri præfectorum armorum.
4. Trecentæ pauperes Feminæ lugubri[illegible] quaternæ incedentes.
5. Duo Tibicines.
6. Vexillum Concordiæ geſtatum ab [illegible] Meadown.
7. Aſſeclæ, Pediſſequi, Apparitores, [illegible] nomici.

1 De [illegible] [illegible] [illegible] van West [illegible] met Planken overdekt met Swart [illegible] Regiment Gardes [illegible]
2. den Onder Ridder Maerschalk
3. de Bedienden van de Officiers der Wapenen

4 Drie honderd Arme Vrouwen [illegible]
5 Twee Trompetten
6 de Banier der Unie [illegible] Sr Philippo [illegible]
7 de [illegible] Pagien van de [illegible]

...equiarum Tabula. I.



...eucullis tectæ

...lite Philippo

...Ministri Oeco-

8. Præfecti vestimentorum & stabuli.
9. Præfecti rei vestiariæ cubiculi.
10. Nobiles sacelli & rei sacræ suo apparatu vestiti, nœnias cantantes per vias, usque ad Templum Abbatiæ Westmunsteriensis recepti a Præfectis Templi, chori & sacelli Henrici septimi.

11. Duo Tibicines.
12. Cimeliarchæ. Inspectores operum; vulgo Controlleurs.
13. Promi condi. Prælibatores. Nobiles. Inspectores. Vigilum Præfecti.
14. Duo Tibicines.

11 twee trompetters

14 twee trompetters



Exec





15. Sacellani Regis & Reginæ.
16. Scabini. Allermanni Londinenses.
17. Dominus Christophorus Wren, Archiædilis.
18. Duo Tibicines.

19. 20. Primarii [illegible] ginæ.
21. Octo ho[illegible] e curru [illegible]

15 de kapellanen van de koning & koningin
16 de Aldermans van Londen
17 S.r [illegible] Wren Ridder Surintendent der gebouwen
18 Twee Trompetters

19.20 [illegible]
21 [illegible] orden[illegible]

...arum Tabula. II.

...es diverſorum munerum Regis & Re-

...geſtantes teſtudinem ad funus Reginæ ...m in templo tegendum.

[illegible]

22. Inter hos erant Nobiles, Fercularii; Pocillatores; Prælibatores &c.
23. Duo Tibicines.
24. Præfectus Armorum.

22 [illegible]
23 Twee Trompetters
24 [illegible]

25. Minifter a Secretis, ut & Quæftor ærarius Regis ac Reginæ.
26 Eques, Hofpitiorum Præfectus, & Cimeliarcha.
27. Archipræfectus Londinenfis.

28. Tres Tibicine
29. Duo armorum
30. Confcripti Pa
31. Apparitor Do

25 [illegible]
26. de Ridder [illegible]
27. de Lord Major Van Londen

28 [illegible]
29 Twee [illegible]
30 het [illegible]
31

Tabula. III.



ecti.
niversi, vulgo, Domus inferior.
nferioris.

32. Orator Domus inferioris.
33. Quatuor Armorum Præfecti.
34. Nobilissima Magnatum Cohors.

Exec



34. Nobilissima Magnatum cohors.
35. Apparitores Ipsorum.
36. Orator Ipsorum cum referendis, vulgo de Beurs.
37. Caduceator.
38. Vexillum Ducatus Chester.
39. Vexillum Principatus Wallis.
40. Vexillum Ducatus Cornwal.
(38–40: a Magnatibus gesta.)
41. Caduceator.

34 [illegible]
35 Sergeant der Wapenen [illegible] van de [illegible]
36 desselfs Spreeker
37 Heraut der Wapenen
38 de Banier van 't Hertogdom Chester
39 – – – Prinsdom Wales
40 – – – Hertogdom Cornwal
41 Heraut der Wapenen

42. Labarum Hiberniæ.
43. Labarum Scotiæ.

44.45. Archicaduceatores.

46. Insignia Britanniæ Gal[...]
47. Labarum Imperatorum[...]

48. Labarum Angliæ.

42 de Vlag van Ierland
43 – – [illegible]
44:45 [illegible]
46 de Baniere van [illegible]
47 de Groote [illegible]
48 de [illegible]

rum Tabula. IV.

rata per Comitem Monrush & Selkirche.

uadripartita.
rchiæ Britannicæ, } a Comitibus portata.

49. Dominus Vicecomes de Villers, Archipræfectus stabuli Regis & Reginæ, manuducens equum honorarium luctus publici, cujus caput & cauda violaceis plumis ornata erant, pullo tegmine infra ungulas demisso tectum, ac ductum a duobus stabuli Regii Ministris.
50. Caduceator Nobilis, gestans Galeam Regni, cristatam cum Diadematis apice, & Palliolo Herminarum.
51. Scutum Imperii, cum Ordine Garterii.
52. SacroSanctus Regni gladius, Curtana nuncupatus.

Wapenen


Graven Gedragen

49

50

51

52 't Swaard





53. Sagum inſignibus Imperii diſtinctum.
54. Caduceatores nobiles.
55. Clarenceaux, Alter Caduceatorum Regulus, Qui binis Nobilium Apparitoribus comitatus pulvinar violaceum &c. cui impoſita Regni Diadema, Sceptra, Globus &c. ex curru Lugubri tranſportabat in Mauſolæum.
56. Marchio de Wincheſter, Dom. Vice Camerarius aſſociatus a Magnatum Apparitoribus. Hoc loco ſe immiſcebant clerici Abbatiæ Weſtmonaſterienſis ordini proceſſionis, ad ipſum Eccleſiæ introitum.

53 Het wapen kleed [illegible] 3de [illegible]
54 [illegible]
55 [illegible] 3de [illegible] niet op de wagen [illegible] kussen
56 de marquis van Winchester [illegible]

57. Octo Caballi Lugubres ſine veredario
ducti a totidem Nobilibus ſtabulariis. C
modo eodem, quo prior equus pompæ,
Capite caudaque elatis plumis Violaceis
pullo demiſſiore cöoperti, hi currum Aug
hebant.
58. Sex Barones ex utraque parte Currus Au
tantes Ducatuum Vexilla Scutis Regn
ta, quæ infixerunt Clauſtro lugubri cir
læum.

57 [illegible] Gaļeÿd
58 [illegible]

arum Tabula. V.



manu-
oniali
nati ,
gmine
n tra-

often-
ecora-
Rauso-

59. Tres Imperii Magnates Aſſeſſores, utrinque tenentes ſyrmata extrema Pallæ ſeu regminis pulli, quod Auguſtum Funus, loculumque regebat, cui impoſitum Pulvinar violaceum, Diademate, Sceptris, Globoque Britannicæ Monarchiæ coruſcans. Omnes Magnates, tam Aſſeſſores quam Nobiles, lævos, humeros induti pullo linteo criſpo, cæterum ſuis veſtibus ceremonialibus veſtiti.

60. Ipſa Palla, ſeu tegmen Lugubre, ex violaceo ſerico villoſo, nodis aureis ac fimbriis pretioſiſſimis adornato, ac decoro.

61. Corona Monarchalis, Globus, Sceptra &c. pulvinari impoſita.

62. A Cervicalibus ac pedibus Funeris aſſidentes Sacræ Majeſtatis Domicellæ Nobiliſſimæ, profundiſſimos luctus præ Se ferentes.



60. Duo Nobiles Magnatum Apparitores.
61. Archicaduceator, ut Caduceatorum, Scutigerorumque Regulus, Dominus Garter.
62. Primaria Pullatarum Domina Dux de Sommerſet repræſentans Principem Annam Daniæ.
63.64. Dux de Leeds & Comes de Pembroek ſuſtentantes primariam pullatarum Dominam.
65.66. Domina Dux de S[t]. Albans. / Domina Dux de Southampton. } Syrma tenentes primariæ Pullatarum Dominæ.
67. M[r]. Sagres Vice Camerarius Reginæ, ſyrmatophorus ejuſdem.
68. Octodecim Aſſiſtentes prim. pull: Dom.

Nobiliſſimæ Dominæ, Dominæ, {
Dux de Devonshire,
Comes de Bridgwater,
Comes de Winchester,
Comes de Thannet,
Comes de Sandwich,
Comes de Radnor,
Comes de Monmouth,
Domicella Howard de Effingham,
Comes de Arran.
Dux de Leeds,
Comes de Oxford,
Comes de Northampton,

60 [illegible]
61 de eerste Koning der Wapenen
verbeeldende Princes Anna van Deenemarcken.
ondersteund door
63 64 den hartog van Leeds, President van s Konings Raad [illegible]
67 Mr. [illegible]


iarum Tabula VI.



P. Persoy Excud: cum Privilegie.

Nobilissimæ Dominæ, Dominæ, { Comes de Carnavon, Comes de Sunderland, Comes de Maclesfield, Comes de Dorchestes, Baro Crounvel, Lady Rockingham.


69. Duo Nobiles Apparitores.
70. Sex Domicellæ Cubiculi Reginæ.
71. Sex Domicellæ Honorariæ.
72. Sex Fœminæ Cubiculi Reginæ.
73.74. Cohors Officialium magnorum, & Stipendiarii Nobiles.
75. Præfectus Satellitum Prætorianorum.
76. Vetus Porta Aulæ.
77. Pars Palatii Withal.
78. Porta Lugubris in Area S^ti. Jacobi in Circuitu (de Court) Abbatiæ Westmunsteriensis, in Area Palatii Withal, in Castro (vulgo Tour) & alibi ex Tormentis Bellicis & Sclopetis Militum, dato Symbolo ac signis certis, explodebatur sonitus pulveris Pyrii, luctus publici signum undique.




29
36
17
18
23
22
21
35
34
37


Excell^mo Nob^mo D^o D^o
ALGERNONI
Com: d'Essex. Vice Com: de Malden. Baroni de
Capel of Hadham. Nob: Cam: Lecti Regii
Præf: Com: de Hertfordshire. Chiliarchæ
Legionis Dimachorum etc. etc.
D.D.D. Romanus de Hooge. I.U.D. et Com.

Planities Abbatiæ Westmunſ



1. Menſa funeri dicata.
2. Mauſolæi Pyramides.
3. Locus ac menſa Primariæ Pullatarum deſtinata.
4. Locus Cubicularii.
5. Utrumque Sepimentum.
6. Cathedra.
7. Suggeſtus Præcentoris.
8. Orcheſtra &c.
9. Subſellia Patrum Conſcriptorum.
10. Sedilia Oratorum.
11. Exedra Nob
12. Sedilia exter
13. Chori pars
14. Tranſitus ex tam Lugubr tam viam p
15. Valvæ Cho
16. Organum.
17. Circuitus ex
18. Penetralia

riensis. Humatio Reginæ.



m Matronarum.
egatis destinata.
erior.
usolæo usque ad Por-
Palatii Withal per to-
panno stratus.

or Abbatiæ.
Regii.

1. Amplissimæ Reginæ funus.
2. Monumentum Henrici Septimi.
3. Sex Magnates Pallam sustinentes.
4. Primaria Pullatarum, Illamque sti- pans Caterva.
5. Satellites.
6. Matronæ Honorariæ.
7. Tholus Sacelli.
8. Sarcophagi Ducum ac Principum.
9. Valvæ atque cancelli Sacelli.

